



PALAE STR A LATINA




Ordinarii et Superiorum
licentia

SUMMARIUM

Bibliographia, MIR, MOLINA, PLANAS.
Societas Hispana ad humanas litteras fovendas,
JIMÉNEZ.
Curriculum salmanticense, BENITO.
Nova et Vetera, MIR.
Iliadis I, VAZQUEZ.
Commercium epistulare,
Per orbem, MOLINA.
Index.



Universitatis Pontificiae Salmanticensis conspectus



BIBLIOGRAPHIA

F. CUPAIUOLO, *La versione latina*. Libr. scientifica Editrice, Napoli, 1947; 330 pp

In promptu habes, lector humanissime, librum maximi momenti, qui et magistris et alumnis operam et utilitatem conferet plurimam. In eo exercitia syntaxis in primisque stilisticae invenies permulta, quibus discipuli, dum exercentur in narrationibus in latinum vertendis, indolem, nitorem sensumque latinitatis germanum et sedulo investigent et studiose ament et suaviter percipiant.

Prima operis pars themata continet vel ex veteribus scriptoribus graecis latinisque deductis vel ab ipso Auctore propositis: his vero et praeficiuntur notulae generales stilisticae, junioribus utilissimae, et adjiciuntur aliae quae ad textum recte interpretandum spectant. His, 273 themata subsequuntur, quibus nulla adponitur explicatio seu adnotatio quaeque ad pericula alumnorum inservire poterunt, aut ad exercitia domi peragenda. In altera vero parte non nulli scriptores itali producuntur, qui adnotationibus stilisticis maxime elaboratis ornantur ut alumni pure germaneque latino sermone conscribant et in illis de recto verborum usu deque locutionibus aptioribus ad rem significandam juxta classicorum dicendi genus admonentur discipuli. Quam multa scholastici qui haec exercitia peragent, ediscent illisque sanum rectumque latinitatis iudicium certo adipiscentur!...

JOS. M.^a MIR, C. M. F.

M. FERNÁNDEZ GALIANO, *Demóstenes*, 325 pp, 32 pts. Edit. Labor, Barcelona.

In hoc volumine e «Collectione Labor» varia et efficax historia cl. oratoris graeci in nobili Athenarum occasu cum orationibus civilibus admiscetur, e quibus 1.^a et 3.^a Philippica et fere integra «pro Corona» oratio lectoribus proferatur. Liber, ut illius temporis historia maxime placet et simul auctorem rerum

graecarum peritum atque gnarum facile commonstrat; quod si majore subtilitate quaedam de natura et indole civitatum confoederatarum — quae polis vocantur — exponerentur, librum absolutum iudicarem.

In interpretatione vero tota scriptoris graeci vis atque efficacitas non semper inesse videtur, ut in pag. 156 Et forte — indulgeat cl. Auctor sententiae nostrae — hujus versionis commentariis — quae ad eruditionem et historiam potius quam ad aestheticam et ipsas litteras respondere videntur — praestaret expositio in synthesisin redacta de vi illa oratoria Demosthenis, quo hoc excellens volumen ad nostram humanam institutionem perfectius inserviret.

ANT. PLANAS, C. M. F.

J. F. YELA *Séneca, Nueva versión directa*, Edit. Labor, Barcelona, 1947.

«In summo operum philosophi Senecae vertice, nos ipsi collocare appetimus ac nobiscum lectores, et versus illam plagam navigaturi — quae nempe Senecae scripta videntur — tot aenigmatibus et sphingibus undique refertam, gubernatorem agere studemus».

Hoc est propositum cl. Dno. Fco. Yela Professori, tironem manu ducenti, in operibus Cordubensis philosophi legendis; qui quidem auctor, praesertim cum disputatissimus et philosophus et scriptor a pluribus ducatur, prae ceteris latinitatis auctoribus adumbrandus est et collustrandus. An quae sibi auctor proposuerit, humanissime lector, nanciscatur, hoc volumen evolvens tu ipse reperies; quod quidem perfecisse nobis videtur, postquam attente praelibavimus, praecipue scl. primum, in quo de vita et operibus et aenigmate Senecae nonnulla aguntur; eadem comprobamus postquam cetera proemia perlegimus.

Interpretationem tamen, ut perfecta nobis omnino probaretur, latinum sermonem paulo minus redolentem optarem. MARIANUS MOLINA, C. M. F.



LENGUA ESPAÑOLA

VOX. — Diccionario General Ilustrado de la Lengua Española. — Prólogo de R. Medéndez Pidal; revisión de S. Gili Gaya. — En tela, ptas. 125.

GILI GAYA. — Iniciación en la Historia Literaria Universal. — Ptas. 22.

LENGUA LATINA

SPES. — Diccionario Ilustrado Latino-Español Español-Latino. — 2.^a edic. revisada por V. García de Diego. — Ptas. 50.

SPES. — Diccionario abreviado Latino-Español Español-Latino, reducción del anterior para los primeros cursos del Bachillerato, 2.^a edic. -- Ptas. 25.

ECHAURI. — Diccionario Manual Latino-Español Español-Latino. — 6.^a edic. revisada por el autor. Ptas. 45.

Id. Lengua Latina (cursos 1.^o-2.^o-3.^o). Ptas. 18.

Id. id. (cursos 4.^o-5.^o-6.^o-7.^o). Ptas. 25.

Id. Crestomatía Latina para los siete cursos del Bachillerato, Ptas. 20.

LENGUA GRIEGA

PABON-ECHAURI. — Diccionario Griego-Español, 2.^a edic. revisado por José M. Pabón. — Ptas. 40

ROCA PUIG. — Textos y prácticas para todos los cursos de Griego.

Pedidos y detalles a

EDITORIAL SPES

Avenida Carlos I. 149 · BARCELONA · Telegr. EDISPES


Cum emitis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

VINOS DE MISA

DE MULLER, S. A.

TARRAGONA

Casa fundada en 1851



Medalla de Oro en la
Exposición Vaticana de 1888 (S. S. León XIII)
Proveedores de Sus Santidades
Pío X, Benedicto XV, Pío XI y Pío XII

Garantía de absoluta pureza

EXQUISITA CALIDAD

Certificados del Excmo. Sr. Arzobispo de
Tarragona y de muchos otros Ilmos. Prelados

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesetarum in Hispania et Lusitania, 16 pt. in America et Philippinis insulis, et 17 pt. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcelona - Apart. 1048

Societas Hispana ad humanas litteras fovendas

1. — Constitutio

Coetus seu Societas Hispana pro humanioribus litteris, «Agrupación Humanística Española» vulgato nomine dicta, in sedibus almae Pontificiae Universitatis Salmanticensis optimis ominibus hac aestate auspicata est. Cui tantum mihi videtur momentum tribuendum ut, commentariolum saltem jam a prima fronte hujus PALAESTRAE LATINAE praemittere, consentaneum judicaverim.

Hujus Societatis constitutio et ambitus neminem in admirationem adducet, qui certior factus sit de studio et amore quo, latinis graecisque litteris intenderint, quicumque curriculo aestivo salmanticensi adfuerunt.

Atque revera, frequens magistrorum ecclesiasticorum undique ex omnibus Hispaniae regionibus concursus, mira omnium sensuum animorumque consensio, incredibilis labor tum in scholis quinquies in diem repositis tum in consessibus sive publicis sive privatis, testimonia sunt adeo perspicua ut Vallisoletanus Archiepiscopus in consessu finali dixerit: «Hoc, nisi oculis meis perspexissem, nequaquam credidissem».

2. — Conditores

Sed quid de laudata Societate sentiendum?

Eam imprimis ab omnibus desideratam, eam praeterea vires dispersitas pluresque conatus in se coagmentasse, fructus denique optimos ab ea gignendos in spe omnium esse.

Neque enim deerant qui pro cultu litterarum classicarum enixe inter nos curarent, sed singillatim. At vis unita fortior. Ubinam vero vinculum unitatis? En Societas Salmanticensis de humanioribus litteris, in cujus constitutionem operam dederunt praeclari viri: Henricus Basabe S. J., scholae dictae «Perficit» rector, Josephus Guillén latinarum litterarum instaurator, Josephus Mir PALAESTRAE LATINAE moderator, Josephus Montesinos in Seminario Murciano et in Instituto Cathedraticus, Isidorus Rodríguez O. F. M. doctor monacensis,

ceterique magistri et alumni aestivo curriculo adstantes ex compluribus dioecibus aut Ordinibus et Institutis Religiosis, inter quos non nulli PALAESTRAE LATINAE subnotatores.

Alii forsitan desiderentur ecclesiastici praestantiores quorum ope Societas augeatur ac roboretur, qui, negotiis aut muneribus retenti, Salmanticam petere nequiverunt; immo quibus nulla de hoc aestivo curriculo Salmanticensi notitia pervenerat tempestive, cum opus fuerit mira cum celeritate illud convocare et ordinare.

Fore tamen credo ut hi ad hanc Societatem de latinis et graecis litteris inter ecclesiasticos maxime fovendis cito citius congregiantur.

3. — Quid sit, quidve petat

Quid vero sit, quidve praelaudata Societas petat ex ipsius statutis seu ordinationibus, quas ad manus habeo, rectius intellegi potest.

En vobis, lectores humanissimi, praecipuas ordinationes:

I. — Coetus seu Societas Hispana de humanioribus litteris (Agrupación Humanística Española) est congregatio professorum atque investigatorum ecclesiasticorum ad studia classica sive ethnica sive christiana in Hispania foveanda.

II. — Haec Societas ad hoc tendit:

1) ut omnium professorum atque investigatorum utriusque cleri Iberi-Americi vires laboresque colligat.

2) ut traditio humaniorum litterarum maxime in Seminariis ecclesiasticis instauretur.

3) ut foveat opera ad studia classica spectantia eaque secundet.

4) in praesentia ut professores hodiernos instituat perficiatque.

III. — Societas haec constat: a) Consilio moderatorum; b) Sociis numerariis; c) Sociis honoris causa; d) Sociis protectoribus.

IV. — Consilium moderatorum septem membris constituitur: Praeside et sex Consiliariis, quorum tres in litteris latinis, tres alii in litteris graecis sint apprime versati.

V. — Consilii erunt haec:

1) vigilare ut opera nomine Societatis edita scientifico merito polleant.

2) fovere privata sociorum consilia et conatus, eaque impellere, ordinare, juvare in fines ipsius Societatis.

3) statuere res tractandas in unoquoque curriculo aestivo eorumque magistros deligere et convocare.

VI. — Societas quoque vult:

1) inire ac edere commentarium de litteris classicis, qui vox et praeconium sit sociorum omnium.

2) adgredi editionem classicorum graecorum latinorumque, quae digna sit pristina gloria hispana.

VII. — Societas maxime adlaboravit ut Facultas Classicarum Litterarum instauretur in Pontificia Universitate Salmanticensi, ubi professores ecclesiastici recte instituantur; dum vero hoc tantum in votis sit, ut annum curriculum de litteris classicis habeatur.

Sed satis sit de ordinatione, fine, propositis Societatis Salmanticensis. Pauca de singulari vi et studio quo in harenam descendit.

4. — Majorum gloriam aemulantes

Quod Salmanticae coorta sit haec litterarum classicarum Societas magni est habendum, cum Salmantica apud nos, utique olim, ars Minervae regiumque Capitolium duceretur. In ea enim magistri clarissimi floruerunt, quorum princeps, Aelius Antonius Nebrissensis, cum primam Salmanticensem humaniorum litterarum cathedram adeptus est: «Nec aliunde, inquit, barbariem hominum gentis nostrae evellere coepi nisi ab Universitate Salmanticensi, qua veluti arce expugnata, minime dubitabam quin universa Iberiae oppida ditioni meae subjicienda essent».

Ceteros praetereo, puta Brocensem, Beatricem Galindo, Luciam Medrano, Genesium Sepúlveda, Siliceum, Sebastianum Fox Morcillo, egregios viros qui tum Salmanticam magna laude decorarunt et honestarunt.

Jam vero tot tantorumque virorum glorias non satis est in memoriam revocare; opus est eorum aemulari merita et triumphos in campo bonarum litterarum renovare.

Ecquid jucundius, quidve optatius?

Atque revera hoc sibi vult Societas Salmanticensis de qua sermo constitimus.

Utinan auspiciis undequaque secundis id non tantum inire, sed etiam perfici liceat. Ita prorsus ominamur fore Deo favente.

Barcinone, mense octobri a. 1948.

JOSEPHUS JIMÉNEZ, C. M. F.

Curriculum salmanticense

De litteris classicis

Apud omnes gentes, omnibusque temporibus, florens bonarum litterarum cultus indicem roboris in re publica constituit. Jam vero fieri non poterat quin nova haec rerum patriae prosperitas humanis litteris exornaretur; cujus quidem pulcherrimum est argumentum hoc ipsum curriculum Salmanticae, auspice ejusdem civitatis Episcopo, habitum atque ab Ecclesiastica Pontificia Universitate fautum.

Ante diem XVI Kal. septembres initium habuit. Quinquaginta ferme

classicarum litterarum professores atque studiosi —qui quidem numerus insequentibus diebus augebatur— in Aulam Magnam Universitatis conveniunt, quibus Excmus. P. Barbado salutem dat faustaque precatur. Dnus. Josephus Guillén et P. Basabe harum «Collationum» moderatores, succensis verbis auditorum animos erigunt.

Maxima omnium concordia, omni ope et studio per octodecim dies, data est opera. Omnibus erat in votis aureae aetatis splendorem instaurare. Hinc omnes invasit desiderium quaedam graviora aggrediendi atque firma jacendi fundamenta ad novum in Hispania humanarum litterarum cultum.

Quinque scholae cottidie habebantur et aliquot coetus generales congregati sunt; illae scientifice procedebant, hi vero res practicas pervestigabant. Pars scientifica in duas sectiones divisa est: sectio latina et sectio graeca. Juxta programma propositum, quod aliquatenus immutari oportuit, sequentia argumenta exposita sunt:

Sectio Latina. — Thema 1.um: Momentum et praestantia linguae latinae ad totius hominis institutionem. De ratione docendi linguam latinam. Grammatica, phonetica, morphologia scientifice pertractatae, a Dno. Jos. Montesinos, Murciae in Seminario et Instituto prof.

Th. 2.um: Orationis pro Ligario expositio oratoria, a Dno. Paulino Laso, Pontif. Univers. Salmantinae a Secretis.

Th. 3.um: De vita et operibus Ciceronis pervestigatio et studium. Studiorum distributio in Seminariis. Aliquot grammaticae quaestiones, a Dno. Jos. Guillén, Op. Dioec., in Collegio Salmanticensi «Magistri Avilae» praeceptore.



Excmus. ac Rmus. Dr. Barbado, Magnus Cancellarius cum magistris qui curriculo litterarum classicarum adfuerunt

Th. 4.um: De juxtapositione et subordinatione, deque ordine verborum in oratione latina; explicatio syntactica et stylistica orationis «pro Archia», a P. Jos. Mir, C. M. F., PALAESTRAE LATINAE Moderatore.

Sectio Graeca. — Thema 1.um: Iliadis expositio ut «semen aestheticum» generans seseque evolvens. Quae ex tota Iliade et in primis e cantibus I, VI, XXIII praecepta et documenta ad rite instruendum scriptorem promanent, edixit P. Henricus Basabe, S. J., scholae «Perficit» Moderator.

Th. 2.um: De metaphora «navis» apud veteres scriptores classicos et christianos, edixit P. Isidorus Rodríguez, O. F. M., Matriti, apud Stum. Franciscum Magnum.

Th. 3.um: Praestantia linguae graecae ad excolendum hominem ad humanitatem. Lingua graeca in quinque aut sex annos quo modo distribui possit, disseruit Dnus. Benjaminus Martínez, Op. dioec.

Th. 4 um: Quae intersint relationes inter graecorum gentem ejusque linguam cum indo-europaeo, explicavit Dnus. Joannes L. Oreja, in Seminario Salm. Prof.

Pro P. Eguillor, S. J., de ordine studiorum comillensi deque modo illum usu perficiendi egit P. Jesus Pedraz, S. J.

Praeter hujusmodi scholas, P. Basabe duas habuit Academias, quarum in prima de probatiore ratione humanas litteras edocendi egit; in altera vero de schola «Perficit» diseruit, quam aliquot abhinc annos in Salmanticensi Sti. Stanislai Collegio ipse egregius magister instituit, eoque moderante, maxime floret. P Cayuela, morbo impeditus quominus adesset, suam tamen de studiis classicis disquisitionem misit. Dolendum sane quod nec ipse nec P. Errandonea doctrinae et usus magnam copiam nobis proferre nequiverint...

In coetibus generalibus proposita ac decreta sunt haec quattuor praecipua vota:

1. Societatis Humanisticae Hispanae-Americanae constitutio (*Agrupación Humanística Española*).
2. Ephemeridem edere, ejusdem Societatis organum.
3. Classicorum auctorum bibliothecam parare.
4. Facultatis Litterarum Classicarum apud Universitatem Pont. Salmantinam institutio.

Societatis regimen et moderatio, post votorum scrutationem, sic constituta est: *Praeses*, Dnus. Jos. Guillén, Op. d.; *Sectio Graeca*: P. Basabe, S. J., P. Isidorus Rodríguez, O. F. M., P. Theophilus de Gusendos, O. F. M. C.; *Sectio Latina*: Dnus. Jos. Montesinos, P. Jos. Jiménez, C. M. F., Dnus. Jos. Rodríguez, Pbr.

Ephemeridis editio ejusque opportunitas coetui moderatorum committitur. Ut nunc est tamen, praecipua, quae ad socios maxime spectent, in fasciculo novas res evulganti, edentur

Omnibus praeterea perspicuum apparuit ut quam primum hispana auctorum classicorum conficiatur collectio.

Praecipuum vero votum et omnium studium fuit procul dubio in erigenda Facultate litterarum classicarum apud Universitatem Pontificiam Salmanticensem, in qua ecclesiastici humanis litteris addicti, classicam institutionem perficere et lauream comparare possint. Opus revera magnum, quod difficultatibus scatet; et tamen efficax Praelatorum voluntas atque excellens studiosorum ingenium illud propositum ad rem et veritatem citius traductum iri omniantur. Ingenti sane hoc labore peracto, pridie nonas septembres finis his collationibus imponebatur: clausurae actui aderant Excmus. Archiepiscopus Vallisoletanus atque Salmanticae et Plasentiae Episcopis, qui adstantibus benigne adlocuti sunt, inceptisque impigre favere sponponderunt. Dnus. Jos. Guillén, Magno Cancellario Universitatis ob largam liberalitatem gratias egit. Nec praetermittendam admonitionem illam ab Excmo. Arch. Vallisoletano prolatam plausuque acceptam: «litteras nempe patrias quam maxime etiam colendas, de quibus in nova Facultate classica cathedra erit condenda».

Neque tamen his Curriculi Salmantini actis finem faciemus quin toto studio gratum animum Excmo. P. Dno. Barbado significemus, qui tanta humanitate ac liberalitate socios omnes curriculo adstantes benigne suscepit. Ejus opera Virginem Matrem quae apud «Rupem Gallicam» (Peña de Francia) summo amore a PP. Dominicanis custoditur nobis invisere licuit, ibique ab illis humanissimis religiosis excepti sumus, quibuscum et diem jucunde transigimus. Albam quoque —tot clarissimis virtutibus ac morte Stae. Teresiae— illustratam convenimus.

Optima quaeque omnibus praeclaris viris praecamur, auctoribus atque Curriculi fautoribus de prospero successu gratulamur votaue ad felicem exitum ferventer effundimus.


ALEXANDER BENITO, C. M. F.

Segedae (Zafra), mense octobri a. 1948.

Lectoribus hos libros venales nuntiamus:

Je parle latin	<i>Guillemin</i>
Hellas (tria vol.)	<i>Georgin</i>
Syntaxe latine	<i>Riemann-Ernout</i>
Dictionnaire abrégé latin-fr. illustré	<i>Gaffiot</i>
Stylistique latine	<i>Berger</i>
Phonétique historique du latin	<i>Niedermann</i>
Cours de langue latine (10 vol.)	<i>Debauvais</i>
Traité de stylistique latine	<i>Marouzeau</i>
Introduction au latin	<i>Marouzeau</i>

NOVA ET VETERA



PICTURA 20.^a

MACELLUM-PENUS

1. — Plerique mercatores, qui nobis penum necessarium suppeditant, in porticum¹ macelli proteſti aut in vicos proximos convenerunt.

2. — Porcinarius,² qui pernam,³ botulos,⁴ insicias,⁵ lucanicas,⁶ laridum⁷ vendit, vicinam habet butyri atque casei⁸ venditricem, cujus oſtentus caseo batavo⁹ rubrae cruſtae, *camembertio*,¹⁰ magnis panibus *gruyeranis*,¹¹ glaebisque butyri¹² recentis abundat.

3. — Ante illam olusculorum venditrix¹³ lycopersica,¹⁴ brassicas pompejanas,¹⁵ acetaria,¹⁶ brassicas capitatas,¹⁷ cucurbitas,¹⁸ melones,¹⁹ fungosque²⁰ clientibus praebet. At minister cervisiarius, qui carrum vectorium²¹ cerevisiae cupis²² onuſtum ante ipsum expositorium continuit, impedimento eſt quo minus assueti emptores accedant. Hortorum cultrix cinararum²³ canistrum illi apportat.

4. — Macellum magna hominum frequentia celebratur, nam auctioſis²⁴ eſt hora; rei domesticae curatrices,²⁶ quae ab obsonando obsonio redeunt ante venditricis extarum²⁵ expositorium conſiſtunt ut omāsum aut caput vitulinum emant.

5. — Cocus²⁷ saginatus de belli thynni pretio cum piscatrice²⁸ contendit;

quae suo arbitrato res cariores facit. Magnum habet commeatum anguillarum, solearum, tructarum, carparum; ejus gadus morrhua et mitulus recentes sunt.

6. — Aviaria,²⁹ quae juxta illam sedem habet, integrae probataeque est religionis; cum enim gallinam indicam, anserem, anātem, pullum gallinaceum vendit, justum tantum pretium indicat.

7. — In areae angulo, in primaria contignatione, lintearius³⁰ habitat, apud quem emptrices satis certo sciunt se officinam optime instructam mantilium, mapparum, cinctuum, linteorum tursoriorum semper inventuras. In eodem tabulato cultrarius³¹ officinam constituit, cultrosque venditricibus in porticu exacuit atque horticultoribus falces ex chalybe optimae notae conficit.

8. — Infra illius officinam non ita pridem magnum penuarium receptaculum apertum est. Neque vero est exigua ac pristina condimentaria³² tantum, in qua res usuariae venibant, ut thea,³³ chocolata,³⁴ sacchari metae,³⁷ sapo;³⁸ sed ibi omnia veneunt: crustula, salgāma,³⁵ liquores,³⁶ *rhunum*, *cogniacum*, *ķirschum*, *anisetum*, *liquor cordis* — seu, ut ajunt —, *curasaum*. Venationem non solum invenies, lepōres,³⁹ turdos,⁴⁰ perdices,⁴¹ coturnices,⁴² anates silvestres,⁴³ phasianas,⁴⁴ sed etiam fructus adveſticios ut musas paradisiacas (seu arienas)⁴⁶ et ananas.

9. — Administer condimentarius⁴⁵ — omnibus summe officiosus — praesto est ut petentibus inserviat: condituram⁴⁷ — ex rhamni racemis aut ex cydoniis —, adipem suillum,⁴⁸ minimos cucumēres aut sardas salitas.⁵⁰ Quod quidem clientibus⁵¹ feminis commodissimum est, quae cum rebus vilioribus olera rara, maturius provenientia, et fructus exquisitos, ut pira,⁵² pruna,⁵³ uvas,⁵⁴ persica,⁵⁵ amygdala⁵⁶ nucesque juglandes⁵⁷ inveniunt.

10. — Oryza⁵⁸ ac lentes⁵⁹ sunt juxta haringorum capsam⁶⁰ fumo et sale duratorum; tubera solani, phaseoli⁶³ sunt malis,⁶² ficis,⁶⁴ prunis⁶⁵ avellanisque⁶⁶ proxima. In eo penuario ova⁶⁷ recentia et oleas⁶⁸ invenies et ideo sportae⁷⁰ et reticula penuaria⁷³ notabiliter implentur.

11. — Hujus insignis domus caſeū⁷² inter famulas⁶⁹ et coculas maxima existimatione munitur, nam ipse senex condimentarius⁷¹ illud sedulo torret.

12. — Non omnes ad macellum obsonatum accedunt; in varia concursatione viae, quae ad porticum ducit, diversa hominum genera vides; juxta administrum lanarium,⁷⁵ qui pabillum⁷⁴ agit, ecce duo milites — qui commeatu fruuntur — splendidam trabeam jaſtantes: hussarus scl. caerulea veste *dolmania* indutus et galericulum militare pennatum gestans atque decanus *zuavorum* cum bracis adstriſtis et pileo arabico coopertus.

13. — Pistor,⁸⁰ qui ante piſtrīni⁷⁸ limen adſtat, massam panis⁷⁹ subegit, atque e furno panes lunatos,⁸¹ paſtillos⁸² offasque,⁸³ quae in armario vitreo sunt, retrahit.

14. — Supra piſtrinum sollers habitat lintearia,⁸⁴ quae aliquot operarias plumarias⁸⁵ adhibet; juxta illam vero lotaria veſtiumque complanatrix⁸⁶ commoratur, quae, postquam lavit exsiccavitque lintea,⁸⁸ amylo firmat, eāque dirugatoria machina⁸⁷ complānat.

15. — In laniēna, ⁸⁹ quae est in pede planis, caro omne genus venit, vervecīna, ⁹⁰ bubula, ⁹⁴ vitulīna, ⁹² quae apponitur in modum coxae vel laminularum vel assi vel costarum. Lanienus ⁹³ hujusmodi carnes secat atque ossa ⁹⁶ cum medulla separat. Ad lanienae januam stat ostrearia ⁹⁷ —ostreas ⁹⁸ venditans—, quas ipsa, id petentibus, aperit.

16. — Hi mercatores jus primarium aut jus stationis in loco persolvunt; ideo custos securitatis publicae ¹⁰⁰ acerbe insectatur misellas venditricas quae in contentionem cum illis mercatoribus veniunt transferentes in plostellis carōtas, raphānos, napos, porros aut asparagorum fasciculos, pisa viridia, spinacias, rumīces, nasturtia, petrosilinum.

17. — Adulescens, qui alia ¹⁰¹ cepasque venundat, et ipse novit sibi in macello mercem nundinari non licere; qui quidem praeceps aufūgit cum periculo evertendi sportulam caraborum, cancrorum, cammarorum, quam defert mercator locustarum et astracorum.

18. — Quae hominum frequentia tumultuatur atque strepitum edit, quod tamen nihil prohibet quominus vitrarii ¹⁰³ circumforanii vox percipiatur, atque carbonarii ¹⁰⁴ clamores, qui modo, ut carbonis saccum tradat, e suo plostello discessit.

VOCABULARIUM

- penus, oris, n., (-nus, us, f., -nus, i, m., -nu, -num, i, n.), *comestibles, comestibles; géneros necesarios para nuestro alimento, denrée nécessaire à notre nourriture.*
- 1 porticus, us, f., *cobertizo, pórtico, halle.*
macellum, i, n., *mercado, marché.*
- 2 porcinaris, ii, m., *salchichero, charcutier.*
- 3 perna, ae, f., *petāso, onis., m., jamón, jambon.*
- 4 botūlus, i, m., *morcilla, boudin.*
- 5 insicia, ae, f., *insiciolum, i, n., salchicha, saucisse.*
- 6 lucanica, ae, f., *longaniza, andouillette.*
- 7 laridum, i, n., *tocino, lard.*
† ostentus, us, m., *expositorium, ii, n., *res venales, mostrador, étalage.*
- 9 caseus batāvus, *queso de Holanda, de bola, fromage d'Hollande.*
- 10 *camembertius (caseus), *queso de Camembert, camembert.*
- 11 panis *gruyeranus, *queso (de) gruyere, pain de gruyère.*
- 12 glaeba, ae, f., *bola, motte.*
- 14 lycopersicum, i, n., *tomate, tomate.*
- 15 brassica pompejana, *coliflor, chou-fleur.*
- 17 brassica capitata, b. cumana, *berza, col de repollo, chou pommé.*
- ministēr cervisiarius, *cerveccero, mozo de cerveza, garçon brasseur.*
- 21 carrus vectōrius, *carro de transporte, voiture de livraison.*
- 22 cupa, ae, f., *tonel, tonneau.*
hortorum cultrix, *bortelana, jardinière.*
- 23 cināra, ae, f., *alcachofa, artichaut.*
magna hominum frequentia celebratur, *es muy concurrido, hay mucha animación, l'animation est grande.*
- 24 auctio, onis, f., *subasta, criée.*
- 26 rei domesticae curatrix, *ama, ménagère.*
- 25 † extarum venditrix, *tripicallera, tripière.*
omāsum, i, n., *callos, tripas, gras-double.*
- 27 thynnus, thunnus, i, m., *atún, thon.*
- 28 contendere de pretio, *regatear, marchander.*
commeatus, us, m., *surtido, arrivage.*
solea, ae, f., *lenguado, sole.*
tructa, ae, f., *trucha, truite.*
gadus morrhua, *bacalao, morue.*
mitulus, i, m., *almeja, moule.*
- 29 venditrix aviaria, *venditrix avium, pollera,*
marchande de volaille.
gallina indica, *pava, diade.*
primaria (princeps) contignatio, *primer piso,*
premier étage.

- 30 lintearius, ii, m., *lencero*, *linger*.
 mantile, is, n., *mantel*, *nappe*.
 mappa, ae, f., *servilleta*, *serviette*.
 cinctus, us, m., *delantal*, *tablier*.
 linteum tessorium, *pañõ de limpeza*, *torchon*.
- 31 cultrarius, ii, m., *cuchillero*, *coutelier*.
 chalybs, ybis, m., *acero*, *acier*.
 optima nota, *primera calidad*, *première qualité*.
 receptaculum penuarium, *penuarium, *almacén de comestibles*, *magasin de comestibles*.
- 32 condimentaria, ae, f., *abacería*, *épicerie*.
- 33 thea, té, thé.
- 34 *chocolata, ae, f., *chocolate*, *chocolate*.
- 37 sacchari +meta, *azúcar de pilón*, *sucre en pain*.
- 38 sapo, onis, m., *jabón*, *savon*.
 crustulum, i, n., *pastel seco*, *gâteau sec*.
- 35 salgama, orum, n. pl., *conserveas*, *conserves*.
- 36 +liquor, oris, m., *licor*, *liqueur*.
 *rhunum, i, n., *ron*, *rhun*.
 *cogniacum, i, n., *coñac*, *cognac*.
 *kirschum, i, n., *kirsch*, *kirsch*.
 *anisetum, i, n., *anisete*, *anisette*.
 +liquor cordis, (*curasaum, i, n.)^o *curasao*, *curaçao*.
- 42 coturnix, icis, f., *codorniz*, *cañile*.
- 44 phasianus (avis), *faisán*, *faisan*.
 advecticius 3, adventicius, 3, *exótico*, *exotique*.
 musa paradisiaca, [ariena, ae, pala, ae, PLIN.],
banana, *banane*.
 ananas, ae, m., *piña de América*, *anana*, *ananas*.
- 47 conditura, *mermelada*, *dulce*, *confiture*.
 rhamni racemus, *grosella*, *groseille*.
 cydonium, ii, cotoneum, i, n., *membrillo*, *coing*.
- 48 adeps suillus, *manteca de cerdo*, *graisse sarda*, *sardina salada*, *sardine salée*.
 maturius proveniens, *primerizo*, *primeur*.
- 60 haringus fumo et sale duratus, *arenque abumado*, *hareng-saur*.
- 61 tuber solani, *patata*, *potomme de terre*.
- 73 +reticulum penuarium, *red de compra*, *filet à provision*.
 notabiliter, *a ojos vistas*, *à vue d'oeil*.
 concursatio, onis, f., *ir y venir*, *va-et-vient*.
- 75 laniarius administrer, *mozo de matadero*; garçon d'abattoir.
- 74 pabillum, i, n., *carretón (de una rueda)*, *brouette*.
 comaeatu frui, *estar de permiso*, *être en permission*.
- 76 *hussarus, i, m., *búsar*, *hussard*.
 vestis *dolmania, *dolmán*, *dolman*.
 +galericulum militare pennatum, *chacó con plumas*, *shako à plumes*.
 +decanus *zuavorum, *cabo de zuavos*, *caporal de zouaves*.
 bracae adstrictae, *pantalón bombacho*, *culotte bouffante*.
 +pileus arabicus, *fez*, *fez*, *chéchia*.
- 78 pistrinum, i, n., *panadería*, *boulangerie*.
 massam subigere, *amasar*, *pétrir la pâte*.
- 81 panis +lunatus, *pan media-luna*, *croissant*.
- 82 pastillus, i, m., *panecillo*, *petit pain*.
- 83 offa, ae, f., *barra*, *miche*.
- 84 lintearia, ae, *lencera*, *lingère*.
 operaria, ae, f., *obrero*, *oficiala*, *ouvrière*.
- 85 plumaria, ae, f., *bordadora*, *brodeuse*.
- 86 lotaria vestiumque *complanatrix, *lavandera planchadora*, *blanchisseuse-repasseuse*.
 +amylo firmare (imbibere), *almidonar*, *amidonner*.
 machina *di(s)rugatoria (rugarum *complanatoria), *plancha*, *fer*.
 +complanare (*levigare), *planchar*, *repasser*.
- 89 laniena, ae, f., lanarium, ii, n., *carnicería*, *boucherie*.
- 90 caro vervecina, *carnero*, *mouton*.
 coxa, ae, f., *pata*, *gigot*.
 +laminula, ae, f., *biftec*, *bifteck*.
 costa, ae, f., *chuleta*, *côtelette*.
- 93 lanienus, i, m., *carnicero*. garçon boucher.
- 97 ostrearia, ae, f., *ostrera*, *écaillère*.
 +jus primarium, *patente*, *patente*.
 +jus stationis in loco, *derecho de puesto*, *droit de plaçage*.
 venire in contentionem, *bacer competencia*, *faire concurrence*.
 carota, ae, f., *zanaboria*, *carotte*.
 porrus, i, m., *puerro*, *poireau*.
 rumex, icis, m. f., *acedera*, *oseille*.
 nasturtium, ii, n., *berro*, *cresson*.
- 101 al(l)ium, ii, n., *ajo*, *ail*.
 carabus, i, m., *cangrejo de mar*, *crabe*.
 cancer, cri, m., *cangrejo de río*, *écrevisse*.
 cammarus, i, m., *camarón*, *crevette*.
 locusta, ae, f., *langosta*, *langouste*.
 astracus, i, m., *cabrajo*, *homard*.
 tumultuari, *agitarse*, *s'agiter*.
- 103 vitrarius, ii, m., *vidriero*, *vitrier*.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

ILIADIS I

- Mox desiderium nostri laniabit aethaeos*
245 *omnes... Nec poteris tamen illis utilis esse,*
quamvis, multa gemens, videas occumbere morti
innumeros danaos, audacis ab Hectoris ense.
Tu simul aerumnis penitus cruciaberis atris,
ausus in eximium iactare opprobria Regem»...
250 *Talia verba dedit, sceptrumque abiecit Achilles,*
clavis ex auro rutilum; lassusque resedit.
Uritur Atrides ira. Sed Nestor amicus,
(optimus orator pyliorum, cujus ab ore
sermones longe meliores melle fluebant,
255 *cui transacta diu vitae duo tempora plena,*
cuique duplex proles erat orta et adulta virorum
fertili in urbe Pyli, nunc tertia vivitur aetas):
mollibus assurgit monitis ac talia fatur:
«Hei mihi! Quot lacrimae, quantus manet Hellada luctus!
260 *quantum gaudebunt Priamus Priamique nepotes,*
cum vos audierint divisos lite cruenta,
vos, qui consilio danaos belloque praecitis!...
Fleamini, precor, atque seni parete minores!...
Saepe viris equidem, vobis majoribus, usus;
265 *saepe accessitus... non sum contemptus ab illis.*
Nec tales homines vidi, nec forte videbo,
qualem Pirithoum fortem, regemque Dryanta,
Caineaque ingentem, Polyphemumque Exadiumque,
Theseaque Aegidem, dis immortalibus aequum...
270 *Hi cunctos homines siquidem virtute praebant,*
monstra modis miris sternunt fortissima silvae...
Hos sum congressus, Patriaque Pyloque relicta,
post iter immensum, precibusque rogatus ab ipsis:
Sponte tamen pugnae tentanda pericula duxi,
275 *his ego permixtus. Nec monstra lacessere possent:*
qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Hi... me certabant dociles audire monentem.
Vos etiam cohibete iram, meliora sequentes!...
Nec tu, vi fretus, quaeras auferre puellam;
280 *sed domino sine, cui dederant ut munus aethaei;*
nec tu, Pelides, agites percellere Regem,
(nullus enim simili Rex est cumulatus honore,
sceptra tenens, laudem dederit cui Juppiter altus).

Fortior es forsā, divina matre creatus;
 285 *sed Princeps major, quia pluribus imperat, ille.*
Iram si cobibes, Atrida, precabor Achillem
ponat ut ipse suam pariter, quia pendet ab illo
omnis spes danaum et longi fiducia belli».
 Huic responsa ferens, sic fatur Rex Agamemnon:
 290 «*Cuncta quidem, Nestor, tua sunt reſtissima verba.*
Hic... tamen exoptat praecellere viribus omnes,
omnes imperio regere et ditione tenere,
illa jubere aliis, quae nulli implere placebit.
 Si bellatorem Superi fecere potentem,
 295 *quis patiatur eum convicia dicere foeda?»...*
 Haud mora: torva tuens, illi respondet Achilles:
 «*Vilis et ignavus dicendus jure viderer,*
si tibi ego annuerem, facinus quodcumque loquenti.
Haec aliis impone; mihi praescribere mitte;
 300 *nam danti mandata, tibi non obsequar unquam!...*
Hoc dicam; hoc alta teneas in mente repositum:
 Non ego contendam manibus, ratione puellae,
 aut tecum, aut alio; quia, quae data, rursus adempta est.
 De rebus, quaecumque latent in nave nigranti,
 305 *inde auferre nihil tu, me renuente, valebis!...*
Aggredere! Et discant omnes an inania jaſtem!
Hic... saliente cruore tuo satiabitur ensis!»..
 Talibus oppositis verbis jaſtatus, uterque
 surgit. Et ad naves finitur coetus aethaeas.
 310 *Pelidesque rates suaeque in tentoria velox*
*tendit iter, Patroclo et multa*comitante caterva.*
Interea Atrides puppim deducit in aequor;
Addit ei remos viginti et fert hecatomben
ipse deo, pulchramque genas Cbryseida ducit.
 315 *Insuper ut rector, sollers intravit Ulysses.*
 Ergo age, dum celsa puppi vada salsa secabant
 rore sacro populos mundari jussit Atrides.
 Hi sese abluere et sordes effundere ponto,
 ac pariter pingues hecatombes caedere Phoebō,
 320 *caprarumque boumque, maris per litora vasta*
unde ascendit odor fumantibus orbibus astra.
 Talia dum peragunt, non ponit Rex Agamemnon
 iram, qua fervens prius est minitatus Achillem.

Misaël VÁZQUEZ, S. J.

Commercium epistulare

Andreas Avenarius, S. U. D., Josepho Mir, C. M. F., S. D.

O quam celeriter elabuntur menses, quam celeriter etiam anni! Abhinc hebdomadas quinque sexve, cum vespere domum venissem ad diaetae meae ostium, inveni schedam, in qua domus janitor scripserat haec: P. Schwientek centies te jubet salvere et ne cessares scribere quod in PALAESTRA LATINA ponatur. Qua scilicet schedula jam memor monitus est [ille], in cuius scriptoria mensa non semel ante scribi coeptum esset. Sed dic, amabo te, quando me velis scribere Palaestrae aut ullius libelli periodici paginas occupatum adeo, ut ne ad batuendas necessarias epistolas quidem satis inveniam temporis, qui quinta diei hora nondum expleta exturbatus ex lectulo usque ad quintamdecimam sacris profanisque officiis sic serviam, ut ne cogitare quidem alia liceat aut respirare libere? Nam certe hominem senescentem et fatigatum quatuor horarum et sesqui opere et ex officio domum plus minus minutarum quinquaginta reditu et circiter quartamdecimam pransum frustra jusseris statim ire in negotia mentem et deliberationem postulanti. Sic ego post aliquam quietem corporis et post castanci vel alterius coloris potionem aquae, ut sacris initiatus ordinibus, a psalte invitator ut me secum oblectem in divinis laudibus et precibus sacrisque legendis lectionibus nutriam animum. Nunc decima nona ad cenandum vocat, postea vacandum est quindecim minutis communitati, et illa fuere tempora, quibus liceret unam et alteram horulam de debita quiete nocturna detrhere. Sic fieri vides illud spatium temporis, quo res attendere liceat privatas, contrahi in horas summum binas in die. Quid, si saepissime ne tantulum quidem mihi relinquatur tempus? si praesto esse debeas bis in hebdomada illis ipsis horulis binis, si qui te sacramentaliter velint, si qui hospites aut domestici aures sibi praeberi velint, si quo eundem in urbem est, si qua cura suscipienda vestis, calceamenti, corporis est? si post longas illas in officio sessiones abhorreas a sedendo, quod toto corpore sentias parum incitato per venas sanguine magis magisque venenari corpus? Haec igitur scribo singula, ut tu ipse et illi omnes, quibuscum tam antiqua mihi tamque firma intercedit amicitia, intellegatis me, quamdiu majores melioresque dierum meorum partes sedeam in illo palatio urbis Romae, ante quod palatium extenditur platea Hispaniae cum Hispaniae legatione et columna Immaculae Virginis, quo solo adspectu amicorum Hispanorum subit memoria, nullo amore rei Latinae, nulla amicitiae suavitate posse perfrui. Non igitur ego, sicut quosdam suspicor coepisse suspicari, ulla re offensus adeo hoc anno et superiore fui taciturnus, sed ratio vitae et officii et molestiae corporis me adhuc prohibuerunt et prohibent.

Post sollemne exordium hujus epistulae censeo conciliatum mihi esse animum tuum, praesertim cum acceperis, quibus mihi opus esse videatur ejulationibus. An non ingemiscam, quod perscrutans et identidem versans manu, qui sunt apud me Palaestrae fasciculi, frustra desiderem exemplaria fasciculorum 80, 81, 98, 99, 100, 105? Fasciculum 110 mensium maji aprilisque postremum accepi. In illis tamen,

qui redditi non sunt, opinor aliquando inveniri, quae mea intersit cognoscere, quod vel a me profectum sit, vel ad me datum sit, ut etiam responsione opus sit me insciō. Sentiebam cursum epistularum hispanis inscriptarum impeditum esse; sic scire etiam velim, atque adeo pervelim, perveneritne ad te datus a me ante annos duo fere sermo defensorius de M. Tullio Cicerone, an illa folia undecim in diribitorio postali dormiant, an in via exciderint, an a scelerato aliquo Ciceronis hoste intercepta ferro ignive deleta sint. Nam si intellexero nunquam tibi reddita —nisi forte significaveris id genus malle te a foliis Palaestrae esse procul— rursus ex tracusorio meo exemplari praescribam.

Haec igitur jaçtura, si flenda est, non tamen etiam irreparabilis est. Acerbior altera est jaçtura, nisi fortunato errore comperero jaçturam factam non esse. Totam Palaestram, ex primo fasciculo usque ad quinquagesimum fere fasciculum curaveram a bibliopēgo nostro colligendam glutinandamque, et bellus tomus insigne decus addebat bibliothecae meae. Nunc ante duos annos illum ipsum tomum prompturus eram; nam ea quaerebam, quae Jovaeus olim scripserat de latina pronuntiatione antiquorum, et quibus ante annos decem mirifice obletābatur Sarmiento Argentinus. Perquiro, perscrutor, pervolvo supellectilem omnem meam; PALAESTRAE LATINAE primus tomus nullus! Percontor Collegii nostri sodales universos, mutuone accepissent a me aut vidissent *Palaestram Latinam* meam: *Palaestram* nemo meam. Et tamen fuisse inter libros ad me Romam ex Bavaria abhinc annos decem missos videor recordari. In qua opinione me errare etiam nunc specula est. Poterit fieri, ut, ultra montes vectus aliquando *Palaestrae* tomus primus salvus et sospes ex reliquo librorum scriptorumque cumulo duabus condito cistis amice mihi arrideat; si non arriserit, reliquae erunt funebres lacrimae, quod illo tomo factum sit, quod philosophi negant posse, quod ille tomus in nihil reductus est unde educus ante erat.

Nunc, quoniam satis multa verba feci, quid agam et quid egerim — nequedum dixi interea me non cessasse penitus operam dare PALAESTRAE, neque dicam quam dederim— pauca proferre lubet ad ea quae a te tacta sunt de meis novatis in Pelleterio et in billardario lusu vocabulis.

In eo quidem genere jam alias disertus fuimus et cum in ALMA ROMA de «*posta*» et de «*postali officio*» cum Fornario, tam egregio viro, jocarem sic statuendum affirmabam: «*rebus novis nova indi licere vocabula et tam multis internationalibus vocabulis aditum patere etiam ad linguam latinam debere, quoties in latinitatis thesauro non invenirentur ejusdem significationis et sententiae voces. Hoc jus qui negent, strangulare mihi videntur et interimere penitus linguam latinam. Sed heus, o nosler, ne institueris ut credas illi Avenulam favere linguae latinae, quae admissis hodiernis quibusdam vocabulis etiam colorem latinum mutet. Nam me auctore tota sermonis structura informanda est ad exempla veterum et optimorum scriptorum, eorumque vocabulis etiam, ubi suppeditant, dandus principatus. Sed ubi nos coeperimus de rebus loqui illis scriptoribus ignotis, nostris loquamur vocabulis jam frequentatis aut inventis a scriptoribus aetatum omnium aut etiam a nobis ipsis excogitatis eoque his*

liberius quo scitius significantiusque sunt fusa. Desinamus aliquando idcirco suspecta habere vocabula aut explodere, quod neque apud Ciceronem aut Caesarem reperiantur, ideoque non sint classica».

Nam quid deperire de puritate sermonis latini arbitrabimur, cum per nostros hortos incedentes, cum ad fixum in arbore thermometrum meteorologicum propinquamus, adolescentem comitem meum jussero: vide, quae hodiernae *temperaturae* sit ratio in *scala Reomurica!* vel si postea illi ostendam loca, ubi abhinc annis quatuor, *bombis* (*bomba-ae*) vel *bombationibus* profundissimi putei sunt excavati, et rem pejorem futuram fuisse exitiosamque, si jaçtata esset *atomica bomba*, cum jam sic tota statio Osiensis *debombata* sit. Timendumne ne intellegamur in sermone latino dividentes corpora in *rigentia* et *elastica* corpora et ipsa *elasticitate* fieri, ut *metallicae spirae* compressae *resilient* in priorem formam? Puto ego ipsum Ciceronem gratias nobis açturum esse, si a nobis acceperit circumfusum huic terrae aëra *atmosphæram* appellari, et hanc esse *gaseam permixtionem*; magna illa vasa et rotunda teçtis urbis modo altius modo humiliter exstantia *gasaria* esse et eduçto e carbone *fossili gasi* turgescere, defluente per tubos ad *gaseos furnos* et in *reticula lampadaria gasi* subsidere. Gaudebit, inquam Tullius, se didicisse de re sibi incognita tam facile loqui; nam ipse aliquid de tenuissimis pellucidisque quibusdam vaporibus erat garriturus. Modo audiat formam latinam sermonis nostri, nae ille nihil offendetur nostra novitate *vocabularia*. Ergo non est, cur horrescamus legentes in aliqua latina ephemeride, hominum milia in *detentionis castris* —nam exspecto quid me sapientiores illas *concentrationes*, rem a diabolo certe per humana cerebra introduçtam, appellent— varia crudelitate eneçtos esse atque *ingasatos*. Mihi vero illa natura, qua corpora corporibus copulantur «*appetentia centri*» est, et ipsa corpora dico —nulla, opinor, cum offensa aurium classicarum— petentia centri corpora, quibus opponam *centrifuga* corpora. Mihi placent homines *practici*, hoc est rerum expediendarum usu praestantes, neque cohorresco, ubi hominem, in quo summa sint omnia, «*idealem hominem*» commendaveris, et homines nimium sui suorumque commodorum cupidos ardere «*egoismo*» affirmes.

Nuper, die S. Ludovici Regis, nisi fallor, placuit legere in aëtis Bonifacii Papae VIII bullam, qua piissimus Rex inter sanctos caelites est adscriptus. In ea bulla est S. Ludovicum spreto meliore lecto in «*mataracio*» se deponi voluisse. Itaque jam saeculo tertio decimo ea fuere homines prudentia, ut cubile, quod apud Arabas vidissent et ab Arabibus MATRAH vocitaretur, *mataracium* latine, *Matratze* germanice, *matelas* gallice, *materassa* italice, *mattress* anglice dicerent, et quisquam deinde credat non desipere, si qui his et similibus vocabulis idcirco abstinere jubeant, quod non classica sint vocabula. Mihi vero semper quidam in officio collega nimis diligens visus est, qui ubi in suis epistolis nuntiat per *telegraphum* aliquid compertum esse, de telegraphico nuntio scribere mavult quam ut respondeat «*telegrammate*» compertum esse hoc vel illud. Cur non etiam *telegraphare* probamus et *telephonare*, quod hodie toto orbe terrarum homines faciunt? Cur colloquia telephonica non sinimus esse *telephonemata*, cum tot in psalmis videamus post editam

novam versionem psalmorum «epiphonemata»? Neque *radiogrammata* noverunt antiqui neque *radioscopiam*, et ultro acceptarent, cum non viderent significantiora verba, etiam istas hybridas nostras suo dignarentur ore. Sunt etiam in iis linguis, in quas hodie latina lingua producta est, rite derivata vocabula, quae nequaquam inquinant ora pure latine loquentia. Ex magna multitudine unum dicam, quod Itali hominem suae nationis «*connationalem*» dicunt. Non me latet omnia lexica cum Cicerone et sociis proponere «popularem meum» et «nostratem» neque ullum lexicon offerre *connationalem*; et tamen manebo in sententia pereleganter mecum, qui Deo propitio in eadem Bavaria sit natus, *connationalem* me salutare, sicut Cicero ejusdem virum contubernii atque adeo vicinum familiaremque suum contubernalem vocitat.

Tua *electricaveha* vel pedibus percurrens hanc urbem Romam, haud pauca conspicor in domorum vel columnarum inscriptionibus vocabula, quibus etiam latina corda permulceantur: tam illa bene tamque significanter ex ipsis latinitatis visceribus sunt deprompta. Sic, cum nuper in aliqua tabula palo fixa vidissem scriptum «*frigorifero*» statim de «*arca frigorifica*» cogitare coepi et de *frigoriferis* ventis. Quin ego adeo jam mitis sum factus, ut ego, qui quondam interroganti condiscipulo, quo verbo enuntianda «*ocularia vitra*» latine essent, responderim «*perspicillum*» ea vitra dici, sed classicam non esse vocem, ne ab illa jam abhorream «*responsabilitate*», hoc est sponsione reddendaque ratione, quam *responsabilitatem* non ita raro in officio ac rescriptis scribendis scribo. Num quid etiam periret elegantia latina, si communi peritorum consilio ad hodierna et internationalia verba ieretur quibus enuntientur quatuor caeli terraeque regiones? si praeter antiquorum tot syllabarum inutili nisu pro America septemtrionali *Americam nord*, vel si latinitatis ratio postulet, si America ponderosior sit, *nord Americam* dicas? ubi *nord*, *sud*, *west*, *ost*, adjectiva indeclinabilia erunt: *Ost Africa* arenosissima est, *nord Norvegia* longas noctes habet. Hoc eo magis ego commendem, quod hanc unam esse video viam ad indicandum accuratius e quanam regione adflent venti ut habeas *nord nord west*, *sud sud ost*, similia.

Venturus ad extremum eram ad ea vocabula de quibus tu, Joseph, in epistola ad me in fasciculo 108 PALAESTRAE data mecum agere institueras; quem ipsum fasciculum non haberem, nisi ille Aemilius Orth — qui interea ex urbe in Saraviam revertit suam — ex suis exemplaribus dedisset, nam cerussa in frontispicio lego scriptum: Dr. Orth. In meo Pelleterio quae novassem, persequeris in ea epistula, et de aliis earundem rerum nominibus ab aliis jam propositis, quid sentirem, jubes dicere. Dico: generatim placere quae subeunt ita ut oculis mentis vel phantasia facile videam, quae res hoc mihi praesentetur nomine, neque officere dico, si ejusmodi rei non unum exisset vocabulum, et ea vocabula praestantiora esse, quibus rei natura denotetur efficacius. Jam *electricaveha*, quam ego malim esse lenius ori contractam *electricaveham* «*electricaveham*», commune nimis nomen est vehiculorum, electrico impulsu currentium: adsunt in hac urbe aeterna *tram*, *filobus*, *autobus*; et audito: *electricaveha* nos hodie ituros ad montem Marium, parum vides, quod curruum

genus ille conscendere te velit, et nescies tuo damno, si ille crumenam secum portat, tu privus sis pecunia. Audita *electriveha* facile etiam cogites de illo trahaculo, quo in *ferroviariis electrificatis lineis* copulata ei trahitur curruum series, vel etiam de singularibus curribus qui feruntur *electrice per ferroviaria rotabula*. *Triebwagen* audiunt in Germania, Itali dicunt *electromotore*.

Jam *orbitae* et ipse saepe adrisi, ut se daret nomen idoneum illarum regularum ferrearum, quibus tam lenes fiunt ferrearum lapsus rotarum. Sed sic absolvit me Forcellinus: «Orbita, inquit Asconius, duas res significat: nam orbita et rota ipsa intelligitur et vestigium in molli solo». Me scilicet majoribus viris licebit *orbitam* in eum sensum declinare, ut etiam binas illas ferreas lineas significet, quas Itali haud illepide «*binarium*» dicunt. *Vaporitruha* non ita mihi placet, ut placet «*vehela vaporaria*», «*vaporaria vela*» et fortasse hoc etiam «*vetarium vaporarium*». *Orbile* proprie est una ex partibus, ex quibus rotarum orbis componuntur, minusque videantur *orbilia* esse ferreae regulae vel trabes quibus *irrotantur* orbis angulati curruum *ferroviariorum*. *Rotaia* Italarum, *rail* Gallorum, quot etiam Anglorum est, me ad meum *rotabulum* deduxerunt, utpote quo rotentur illae rotae.

Jam illa explicaturus eram vocabula, quae novavi in *billardario* Iusu. Sed frustra quaesito fasciculo PALAESTRAE, in quo meam miratus licentiam pro *ambitagio* et pro *banda* et pro aliis aliquibus usitatorum commendas vocabula, in praesentia in rem ire non possum, neque id doleo longitudinem respiciens harum litterarum et illam patientiam, quam in legendis exercueris. Repono in theca memoriae, quae de *banda* et de *collisione* et de margine responsurus sum, nam haec paucissima nunc recordor ex lecta epistula tua, quam et ipsam semel in Orthii exemplari conspicatus sum. Jam vale et ad alia animum para hujus exempla facundiae. Ex Urbe III Idus sept. anno Christi 1948.

Josephus M. Mir, C. M. F. Andreae Avenario S. V. D.
socio desideratissimo sal.

O dulcem tuam in scribendo tarditatem quae talem peperit facundiam!... Bene sit janitori illo tuo et P. Alexandro qui te ex diurno liberarunt silentio musasque tuas et epistulas denuo ex somno excitarunt... Tuas excusationes admittimus libentissimi, quae et verae sunt nosque eas cottidie experimur qui in tot quoque negotia jaetamur iisque quasi obruimur...; aulas namque et alumnos cottidie in nostro Collegio et in Seminario dioecetano convenire cogimur latinitatem edocendi causa, praeter curam et sollicitudinem PALAESTRAE nostrae aliarumque minutarum rerum... Id unum, valetudinem tuam cura diligenter.

Lugenda sane jaetura illius voluminis in quo PALAESTRAM apte colligendam curaveras... nam jamdiu collectiones PALAESTRAE exhaustas lectoribus nuntiabamus; sed et ego perquirens et perscrutans pluteos bibliothecae, volumen repperi quod tibi donum mittam quodque loquelam tuam reddet facundiosem cum rursus tot vetera amicorum monumenta recorderis. Et si non ex Bavaria tua, ex Hispania quidem jam arridet tomus ille, qui non in nihil reductus, sed ex amicitiae arcis educus, ci-

tius ad te volabit. Et fasciculos ergo —quos requirebas— mitto et volumen: quae utique tibi grata sint!

Illam autem de Cicerone quae ad me misisti, ab aliquo forte *Ciceromastige* hodierno intercepta crederem .. Fac denuo pagellas illas transcudas ex dactylographio seu machina scriptoria tua.

Incidisti tandem in rem quae plures abhinc annos me totum sollicitat ac quasi excruciat. Quo modo tot tantasque res novas recentesque latinis vocabulis nominemus? Huic arduo negotio me totum contuli, illudque «opusculum *Picturas Delmas* explicans» in latinum fere verti, multa recondita, nova vel novata vocabula edens, quae forte non omnibus probabuntur. Hujus «opusculi» pagellas quae separatim e sectione *Nova et Vetera* excuduntur, ad te mittendas statui ut iudicium et monitiones amice significes.

Ut autem ad te redeam, principia, quibus in novis vocabulis latine reddendis regamur optima stabilisti et in hac tua epistula et in ALMA ROMA (a. 1940 F. III, p. 115) et alii quoque id optimo jure ac consilio tentarunt (cfr. J. LAMER, PAL. LAT. n. 43, p. 128; BACCI, *Varia latinitatis scripta*, p. 140). At nisi fallor difficultas in his principiis experiendis et exsequendis inest maxima; omnes enim intactam integramque volunt latinam ita ut color latinus et indoles in oratione ubique servetur: «tota —ais o bone magister— sermonis structura informanda est ad exempla veterum et optimorum scriptorum»; et alibi (ALMA ROMA, 1940, III, p. 116): «Colore igitur obduci me cupiam ego fideliae Ciceronianae, et eorum scriptorum, qui ejusdem coloris sint; «ceteros» scriptores sperno neminem»... Quod in primis constanter, enixe, forte studiosius contendunt atque propugnant ii omnes scriptores ut Cima, Gandino ceterique qui praecepta tradunt ad recte informandam orationem nostram juxta veterum dicendi genus, eandemque sequuntur rationem et viam qui novas voces ut Bacci, Cognasso, cet., protulerunt: ii autem non nulla respuunt vocabula quae, ut exempla proferam, tu benignius admittis, ut «idealitas» homo (perfectus, summus, pulcherrimus, absolutus) et «egoismus» (=sui amor, suae utilitatis studium, cupiditas). Pro «detentionis vero castris» Bacci publicae custodiae locum proponit; quae in «captivorum e bello castra» forte mutari possint et «concentrationem» in conglomerationem, congregationem.

Ceterum plura ex illis vocibus quas profers, placent tibi que assentimur. Sed de quibusdam sermonem longiorem alio die statuemus. Interim de verbo *debombare*, de *responsabilitate*, de *nord America*, de *eletrivela* deque *telephonare* et *telegraphare*, cet. denuo amabo, cogita, quod et ego pariter praestabo diligenter...

Tuam in latina oratione versanda dexteritatem maxime demiratus, tibi omnia concederem novas voces excudenti, sed ea libertas —quantum opinio mea fert— mihi crede, in omnium deveniet detrimentum, latinam in primis et eorum qui parum compta oratione utuntur. Sermo latinus nonne deperiret cum suo colore et indole, novaque ex nostris romanis lingua exurgeret?

Et jam nostris faciamus finem, aliter PALAESTRA nos non capiet...

Hunc fasciculum curriculo Salmanticensi dicatum vides, et plura erant quae de

illo tibi referrem, sed spatium non sufficit. Illud tantum prodam tibi epitaphium degustandum quod prostat in Cathedrali salmantina quodque «Doctor Neyla numantinus, Canonicus salmantinus appropinquante morte, sic divam Mariam deprecabatur»:

O, spes laeta piis, afflictis dulce levamen,
Praesidium moeſis inclyta Virgo reis!
Tu mihi perfugium, tu fidum semper asylum,
Ad te confugio, tu mihi diva fave:
Hoc peto nunc supplex ut cum me vita relinquet
Suscipias animam tempus in omne meam.
At tu, terra parens, retinebis corporis hujus
Membra mihi summo restituenda die.

Quae omnia dum mente agitas, valetudini et aetati tuae inservi diligenter nosque, ut facis, recordare et PALAESTRAM TUAM!

Barbaſtro, IV kal. novembres a. 1948.

PER ORBEM

Anales del Instituto de Literaturas Clásicas, Universidad de Buenos Aires

PALAESTRA nostra LATINA, omni generi cultus in classicis disciplinis excolendis sedulo intenta, lectoribus hos «Annales» sub Universitatis Bonaërensis auspiciis a Facultate Philosophiae et Litterarum editos et expolitos offert. Hujusmodi «Annales» sunt index et argumentum humaniorum studiorum adeo nunc temporis vigentium apud argentinos scriptores. Duo nova volumina, jucundius mel atticum sapientia, praelibatione studiosa gustamus: nobis «Annales» recens amphora videntur, veteri autem classico limo exculpta. Praeter cetera, quaedam velut excerptim notemus, iudicio nostro rite pertractata: «*De imperatoris in deos adscriptione apud Dionem Cassium*», «*De veteri Athenis educatione*», «*Quaestiones de anagnorisi in litteris graecis*», «*Accentus latini ad classicorum scriptorum, palaeographiae musicae, legumque gregorianarum canones indoles melodica*», «*Latinae litterae christianae in Hispania, Galiis et Italia*», «*Quid de morte senserint classici scriptores*», «*Imperatoris cultus ad Hispaniae unitatem*», «*De libri VI Aeneidos spirituali sensu*», cet.

Poësim quoque «Annales» colunt, ut optimam interpretationem vernaculam his fasciculis nobis collegerint: idylli nempe XI Theocriti atque Vergilli eclogae secundae.

In investigandis operibus, ut facile apparet, in primis hic Commentarius eminent. Tam longe lateque prospiciunt «Annales» ut litterae, res gestae, archaeologia, artes, textuum iudicium, philosophia, poësis, amplissimum campum investigatoribus prolatent. Vernaculo fere sermone conscripti, latina quoque nonnulla continent.

PALAESTRA Argentinam nationem salutat etque gratulatur quae his «Annalibus» inter alias gentes, ubi studia classica jamdudum florentissima exstiterunt, merito sese ingerit. Ut hic denique Commentarius arca sit, unde bonarum artium thesauros' Bonaërensis Universitatis scriptorumque argentinatorum ope conditos, omnes cujusvis civitatis studiosi perpetuo hauriant, PALAESTRA perreptat atque ominatur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.
Barbaſtri.

Index rerum auctorumque

1947 — PALAESTRA LATINA — Num. 103 - 108 *

(fasciculos signamus et paginas)

Bibliographia

- ASPA. — Lucesole, Florecillas, 103, 298.
Préaux, Les Grecs en Égypte, 107, 379.
COSCOJUELA — Mendizábal, La Gramática Latina del bachiller, 103, 298.
GARCÍA. — Dumont, Las Rimas de G. A. Bécquer, 103, 298. Capello, Historia de la Literatura Griega, 108, 378.
JIMÉNEZ. — Bassols de Climent, Cornelio Tácito: Historias, Libro II, 103, 298. Echave-Sustaeta, Lengua Latina, 104, 319.
MAULEÓN. — Lucesole, Cantemus Domino, 103, 298. Fernández, Práct. y Teoría o mi primer Libro de Latín. — Práctica y Teoría o mi segundo Libro de Latín, 104, 319. Gilbert-Renard, Un Virgile de Poche, 108, 378. Ernout, Lucrèce, 108, 378.
PLANAS. — Schökel, La Formación del Estilo, 105, 339. Schökel, Historia de la Literatura Griega y Latina, 105, 339. García Pastor, Gramática Teórico-Práctica de la Lengua Griega, 107, 379. García Pastor, Gramática Teórico-Práctica de la Lengua Latina, 107, 379. Edelvives, Lengua Griega, 107, 379. Mendizábal, El Ingenioso Hidalgo D. Quijote de la Mancha, Edición Aurea, 107, 379

Colloquia

- SARMIENTO. — Expergefactio, 103, 286. Occursus nec opinatus, 105, 338. Duo Amici obvii fiunt, 106, 356. Domus invisitur, 107, 333

Commercium epistulare

- Xaverius-Mir, 103, 287
Brunso-Mir, 104, 306, 377.
Sarmiento Mir, 107, 376.
Brunso-Mir, 377.
Mir-Avenario, 108, 370.
C. C. - D. M. B. 108, 370.

EPISTOLIA SOLUTA. — 103, 288 — 104, 317 — 106, 355 — 107, 378 — 108, 371.

QUAESTIONES. — 103, 288 — 106, 355.

Compositiones vertendae

- Animo Inexpugnabile de C. Fabricio, 103, 296. Principios de la Literatura Latina, 103, 296 (III), 297 (IV), 105 (V), 322
Maravillosa aparición que tuvo Cayo César junto al Rubicón, 103, 297.
Resistencia de los Sociatas, 104, 316.
Plauto, 106, 359 — 107, 362 — 108, 379.
Magnanimidad de F. Máximo, 106, 359.
Deberes de los Discípulos para con sus Maestros, 107, 362.
El Tiempo, 108, 379.

Curiosa et jocosa

- Coscojuela, Rossich, Del Barrio, Unzue-
ta, Aramendía, Alsina, Sabirón, 103,
300.
Mauleón, Palacín, Aramendía, Alsina,
Lystrius, Pejenaute, Arrizabalaga, Del
Barrio, 105, 340.
Mauleón, 106, 360.
Marius, Sala, Mauleón, 107, 380.
Sala, Mauleón, Ferrer, Corona, 108, 380.

Exercitationes scholares

- Roura, Tomás, Dies, 104, 320.
Roura, 105, 322.
García, 106, 357.
Fradera, Foix, Abad, 106, 358, Simón,
Bonjoch, Abad, Tormo, Lasierra, 108,
362.

Grammatica

- Versus memoriales de acuendis quibusdam vocibus, 103, 282.
TRISTANIUS. — De substantivo hispanico vertendo, 106, 349 — 108, 373.

* N. B. — Fasciculi 107 et 108 eodem modo numerantur; ut errores vitentur et numerum et paginam signamus.

EDITORIAL GRÁFICAS CLARET

TEXTOS PALAESTRA

Preparados por PP. Misioneros del Corazón de María

1.º y 2.º Cursos:		5.º y 6.º Curso:	
Historiae Sacrae Compendium (3.ª edición) 6'00 ptas.		Sallusti de Catilinae Conjuracione 6'00 ptas.	
Epitome Historiae Graecae (4.ª edición) 8'00 »		Vergilii Aeneidos liber II 6'00 »	
C. Nepotis Vitae Excellentium Imperatorum (en prensa)		Horatii Carmina Selecta (en prensa)	
Primer Curso de Lengua Latina 4'00 ptas.		T. Livii Historiae Selectae 8'00 »	
Segundo Curso de Lengua Latina 6'00 ptas.		De Orthographia Latina 6'00 »	
REPETITORIUM	} en cartóné 12'00 ptas. } en tela 15'00 »	7.º Curso:	
		Prudentii Carmina Selecta (agotado)	
		Homeri Odyssea (canto 1.º) 6'00 pts.	
		Edición de sólo texto latino:	
		Ciceronis Epistulae 2'00 pts.	
		Ciceronis in Catilinam (I.ª) 2'00 »	
		Ciceronis pro Archia 2'00 »	
		Sallusti de Catilinae Conju- ratione 3'00 pts.	
		Vergilii Aeneidos liber II 3'00 »	
		T. Livii Historiae Selectae 3'00 »	
3.º y 4.º Cursos:			
Ciceronis Epistulae Selectae 6'00 pts.			
Caesaris de Bello Civili 8'00 pts.			
Ciceronis in Catilinam (I.ª) 6'00 pts.			
Ciceronis pro Archia poeta 6'00 pts.			

NOVEDAD de "Textos Palaestra"

GRAMÁTICA GRIEGA

La **Fonética** al servicio de una morfología más racional.

La **Fonética** al servicio de la pedagogía.

La **Sintaxis** desde el pensamiento griego.

La **Sintaxis** para el pensamiento griego.

Obra original de los profesores belgas

Planque, Lermينياux, &

Traducción preparada por TEXTOS PALAESTRA

CLÁSICOS "LABOR"

Esta Colección constituye el guía obligado en la lectura y estudio de los grandes clásicos de la Antigüedad y de las Literaturas modernas. Cada volumen contiene un estudio magistral acerca de uno de los grandes autores y una selección de los textos más bellos y representativos de sus obras, facilitando con oportunos comentarios la perfecta asimilación de su contenido ideológico y su plena fruición estética.

Volumenes de 250 a 300 páginas, tamaño manual (11,5 x 17,5), encuadernados a la holandesa, con sobrecubierta a dos tintas y un retrato del autor estudiado, impreso sobre papel couché.

VOLÚMENES PUBLICADOS

1. **HOMERO**, por J. M. PABÓN, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 28.—
2. **VIRGILIO**, por J. de ECHAVE-SUSTAETA, Catedrático de Lengua y Literatura latina. Ptas. 32.—
4. **BALTASAR GRACIÁN**, por J. GARCÍA LÓPEZ, Catedrático de Lengua y Literatura española. Ptas. 30.—
5. **SÉNECA**, por J. F. YELA, Catedrático de Filosofía en la Universidad Central. Ptas. 30.—
6. **DEMÓSTENES**, por M. FERNÁNDEZ GALIANO, Catedrático de Lengua y Literatura griega en la Universidad Central. Ptas. 32.—

NUEVOS TOMOS EN PRENSA Y EN PREPARACIÓN

EDITORIAL LABOR, S. A.

MADRID: Alcalá 144

BARCELONA: Ronda Universidad, 23

FOTOGRAFADOS

M. JOLANO

ARIBAU, 9, INTERIOR · TELEFONO, 30255

BARCELONA

Cum emetis, PALAESTRAM LATINAM nuntiantibus referetis

Historia

- AVENARIUS. — *Andreana*, 104, 303 — 104, 303
De Beata Maria Goretti, 105, 325.
BRUNSO. — *Magister B. J. de Avila*, 104, 313.
FR. FRANCISCUS — B. Baptista Mantuanus, 107, 366 — 108, 375.
NOGUÉS. — Q. Horatius Flaccus, 106, 352.

Nova et vetera

- MIR — *Mare - Portus*, 103, 293 — 104, 307.
Navigli Partes, 105, 331.
Urbs ejusque Monumenta - Incendium, 105, 335.
Incendium, 106 347.
Statio - Ferrivia - Naves, 107, 370 — 108, 368.

Per orbem

- MAULEÓN — «*Humanitas*» Dr. Marianus Bassols de Climent praemio Litterarum F. Franco a. 1947 donatus, 109, 391.

Philologica

- LUSITO — *De usu et abusu in verborum nihil et mihi pronuntiatione*, 108, 365
ORTH. — *De Bibliotheca Horatii*, 103, 283. *De Lucretio et Vergilio et Astro-*

logia, 103, 285. *Quintilliani judicium de Seneca Philosopho*, 104, 311. *De modo textus corrigendi*, 105, 323. *Philosophus et poeta inter sese comparantur*, 106, 343. *De Frontone*, 107, 363.
SARMIENTO. — *De latini sermonis elegantia*, 108, 363.

Poética

- AVENARIUS. — *In. B. M. Goretti ode*, 105, 325.
CANALS. — *O Puer alme, veni!*, 104, 302.
MARTIJA. — *Noctis obscurae interpretatio*, 105, 327.
MAULEÓN. — *In Deiparae Virginis Assumptionem*, 104, 310. *Carmen Vinde-miale*, 107, 369.
MESA. — *Quid dedicatum...*, 105, 334.
ORTEGA. — *Salve, Aloisii Canals*, 104, 302.
R. P. X — *Roseus imber*, 108, 367.
SIERRA. — *Maria; O Panis suscipe*, 108, 372.

Proverbia

104, 305, 309 — 105 324 — 106, 346, 353 — 107, 368.

Varia

HABERL. — *De erratione Georgii Pelletieri pueri*, 105, 328.

1948 — PALAESTRA LATINA — Num. 109 - 113

Bibliographia

- MAULEÓN. — Fougnes, Mécène, 109, 398.
Oleza. *Gramática de la Lengua Latina*, 110, 417
Gessler, *Textes diplomatiques latins du Moyen Age*, 110, 418.
Fuentes, Horacio. *Odas*. Lebel, *L'Enseignement et l'Étude du grec*, 111, 438.
Karl Strecker, *Introduction a l'étude du latin médiéval*, 112, 461. J. J. Van Dooren, *Pour et contre la poésie*, 112, 461. V. García de Diego, *Estudio psicológico lingüístico del temor a la muerte entre los clásicos latinos*, 112, 462

- MIR. — Béranger M. T. *Cicero, Epistulae Selectae*, 110, 418
Gilbert-Renard, *Rarae gemmae*, 110, 418. Robles, *Comedias T. Maccio Plauto*, 111, 437.
F. Cupaiuolo, *La versione latine*, 113, 466.
MOLINA. — J. F. Yela, *Séneca. Nueva versión directa*, 113, 466.
PLANAS. — Pabón, *Homero*, 110, 418.
Fernández Galliano, *Demóstenes*, 113, 466.
TRISTANIUS. — Blánquez Fraile, *Diccionario latino español*, 109, 398. Guillén, *Gramática Latina Histórico-Teórico-*

Práctica, 110, 417. Echave-Sustaeta, Virgilio, 111, 437. Tabachovitz, Etudes sur le grec de la basse époque, 111, 438.

Colloquia

Quomodo versio factenda, 109, 396.
SARMIENTO. — Compositio vertenda, 110, 413. Extremum imminet periculum, 111, 435.
G. PASQUETTI. — Dominus et ostiarius, 112, 463.

Commercium epistulare

EPISTOLIA SOLUTA. — 109, 390 — 110, 416 — 111, 427.
QUAESTIONES. — 109, 388 — 110, 415.
Sarmiento - Mir, 112, 459.
Avenarius - Mir, 113, 480.

Compositiones vertendae

Plauto, 109, 382 — 110, 402 — 111, 439 — 112, 442.
Consilium ab Hannibale rejectum, 109, 382.
Supersticiones de los galos, 110, 402.
Opiniones de los antiguos sobre el trueno, 111, 439.

Curiosa et jocosa

Sala, Mauleón, 109, 400.
Sala, Mauleón, 110, 420.
Xaverius, Adspirantes Carmelitani, 111, 440.
Marius, Adspirantes Carmelitani, Disanti, Mauleón, 112, 464.

Exercitationes scholares

Tejedor, Disanti, 109, 399.
Ballarín, Latre, Tomás, Brusa, Lanau, 110, 419.
Samapulesi, Ruiz, Sanmartí, Lasierra, 111, 422.
Pardina, Valls, 112, 442.

Grammatica

BELTRANI. — De numero nominum adhibendo, 109, 385 — 110, 405 — 111, 430.
MIR. — De verbis, 111, 432.
TRISTANIUS. — Relationes loci, 110, 414.

Nova et vetera

MIR. — Deversorium - Caupona - Caefeum, 109, 392.
Via - Mercatores, 110, 410.
Via - Mercatores (prosequitur), 112, 453.
Macellum - Penus, 113, 478.

Litterae

ORTH. — De vita Albini Platonici, 109, 383.
De Porphyrio, 110, 403.
De Apollodoro Atheniense, 111, 426.
De Thalasso philosopho, 112, 457.
SARMIENTO. — Quid de morte senserint classici scriptores, 111, 426 — 112, 451.
JIMÉNEZ. — Aestiva, 112, 443. Societas Hispana, 113, 467.
BOLEDA. — Curricula Philologiae Podi-Ceretani habita, 112, 444.
BENITO. — Curriculum Salmanticense, 113, 470.

Poética

LUCESOLE. — Spes, 109, 387.
MAULEÓN. — Hymnus messorius, 111, 434.
VÁZQUEZ. — Iliadis I, 110, 408 — 111, 428 — 112, 449 — 113, 477.

Proverbia

111, 436.

Per orbem

Aemilius Boisacq, 110, 416.
MOLINA. — Anales del Instituto de F. y L. de la Univ. de B. Aires, 113, 485.